

Aus dem Nachlasse
des
Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius
der Universitäts-Bibliothek
geschenkt
von seinem Sohne
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.

XI. 142. 2

XIV.

ANTONII DE HAEN
S. C. R. A. MAIESTATIS CONSILIARII
ET ARCHIATRI
E P I S T O L A
D E C I C V T A



1765.

ANTONII DE HAEN
S.C.R.A.MAESTATIS CONSILIAIRII
ET ARCHITATRI
EPIS TOLY
DE CICATA



1742.



am rebusq; eminenteris impedit
non dubitare sup: recte mutaq; up
superiori cunctisq; posse
Viro prae nobili ac celeberrimo
BALTASARO LUDOVICO TRALLES
MEDICO VRATISLAVIENSI
academiarum Caesar. N. C. adiuncto
& Elect. Boicae Scientiarum focio, &c.

Memeritis, Vir Celeberrime,
quum in ultimo Tuo de in-
oculationes Viennenses de-
cicutae praestantia etiam Vratislauiae
comprobatas esse, quod, datis mox
ad Te litteris, humanissime petie-
rim, ut curatorum illorum historiam,
quos cognouisses aegros ante datam
cicutam, quibus praeter cicutam da-

A 2 tum

tum nihil admotumque fuisse nosses,
quosque postea aut egregie emendatos,
aut perfecte curatos, Caetus salutasses,
mecum communicare dignarere: me
quippe tum fore, qui eandem publica
luce donaturus, cicutaeque futurus
encomiastes essem. Aeternum enim
numen veneror, quod eam mihi men-
tem benignus inseuerit, ut salute hu-
mana nihil acceptius, nihil umquam
haberem antiquius; ad quam profecto
de qua lis est planta, plurimum con-
ferret, si, quas illi vires inesse perhi-
bent, reuera possideret.

Eandem possidere illas, nullus
principio dubitabum. Pilulas inde
paratas, ultra sexennium est, dederat
mihi illustrissimus noster praeses *L. B.*
van Switen, ut in scirrho & cancro
earumdem vires explorarum, sup-
presso quamvis plantae nomine, quod
publi-

publicare needum sibi licere aiebat:
quo autem audax in experiundo essem
suam ille fidem suam interposuit ex-
perientiam. Neque profecto vel hi-
lum haesitaui, fide munitus tanta at-
que auctoritate. Imo gratias diuinae
prouidentiae venerabundus egi, quod
denique summarum maximeque for-
midandarum generis humani, in eo-
que amabilis praecipue sexus, calumi-
tatum medelam propitius reuelasset.

Experimenta igitur actutum insti-
tui, eaquæ bene multa, antequam
qua vteres cicutam esse noscerem.
Quod autem experimenta illa minus
fauuebant, ego instituebam eadem
auctiora, ratus, ne ab optimo quidem
medicamento expectari posse, vt o-
mnes ex aequo sanaret: & forsitan eos,
qui penitus incurabiles, meas hucus-
que in manus incidisse, in casuros tan-

A 3 dem

dem, qui sanescerent, qui comproba-
rent medicamenti virtutes, qui eadem
me, qua ceteros, laetitia perfunderent.

Interea aliorum recenter euulgatis
experimentis tamquam propriis meis
gaudebam, & vbiique laudabam cogni-
tae tunc mihi cicutae vires. Eramque
eius in Italia praeco; Et, si quem cu-
pido tenet noscendi, cur nobiliss. co-
mes *Roncalli Parolino* in epistola ad
Cl. Bianchi conqueratur: *ehe io non*
fosse troppo cortese; caussa est, quod
Mantuae 1760, mense Septembri, ille
me officiosa salcitatione honoraret, &
in cicutam aeriter inueheretur, ego
forsan paulo aerius eiusdem efficaciam
propugnarem.

Atque ita fere biennio egi. Tan-
dem quum ea experimentorum meo-
rum infelicitas esset, vt quibus cicu-
tam

tam, spacio anni dimidii, anni integri
& sesquialterius, dederam, eorumdam
nulli sanescerent, plures in deteriora
laberentur, vnum periret alterque;
quum praeterea similes querelae alio-
rum aures circumsonarent, penitus,
fateor, animus vacillauit.

Interea obstupescens inaudio *libel-
lum* de cicuta alterum prelo mandari.
Itaque *Ill. Praesidem* adire ego, ipsi in-
fortunia mea exponero, diaria 23.
aegrorum, quos ab initio in curam
suscepseram, monstrare, obtestari per
omnia sacra, nihil ultra publici iuris
fieri permitteret, donec quae a plurimi-
bus caperentur experimenta numero-
siora omnem amouissent haesitatio-
nem. Quippe si quae ego infortunia
moerebam, eadem & aliis conting-
rent, eosdem his praeposteris laudibus
indignaturos, nostramque fametatem

A 4

de

de fama, quam ec le brem, qoam ve-
nerandam, apud exteros conquerirere
cooperat, periclitaturam. Interea me
non quidem vltra in Nosocomio, in
quo prae locorum angustia foetor civi-
tiae, ceteris, eadem non vtentibus,
permolestus esset, sed foras, eadem,
qua antea feudulitate experimenta
prosequuturum.

Non expedit, enarrare, quis fue-
rit huius collegii finis. Nosse sufficiat
indictum mihi bellum ab eo die fuisse,
idemque hucusque non continuare
duntaxat, sed ingeminare.

Quum interim, quo in experiundo
frequentior, eo essem in curando in-
fortunatior, experimentis meis vel
ideo fidem esse denegandam contende-
runt, quod non vltra in Nosocomio
eadem sub oculis meis instituerem.

Ho-

Homines, ac praesertim quidem pauperculos, a medico medicamenta accipere, saepe eadem aut negligenter, aut nihil omnino assumere, vendere aliis, & sic porro.

Quamuis experimentis in Nosocomio captis aequa fuisse quam extra illud infelix; quamuis etiam in libellis de cicuta plura experimenta extra quam intra Nosocomium capta legantur, tamen inani hoc praetextui adhuc semel obuiam ire volui. Septendecim aegros, quos similes varii morbi affligerent, quique in *libello primo de cicuta recensentur*, in nosocomium meum induxi, cicutam iisdem omnimo do applicui, & bis in septimana cunctis Medicinae studiosis, proficerent, nec ne, examinandos produxi.

Emanante in urbem cicutae apud

A 5

hos

hos omnes inertia, accusarunt me, quo
fundamento nescio, ignorantiae me-
thodi verae cicutam exhibendi. Qua
de causa humanissimis litteris *Illi-*
Praefidem hortabar, vt hora sibi com-
moda vellet examinare aegrotos meos,
tum qui in Nosocomio degebant, tum
etiam qui extra illud cicuta vtebantur,
ad datam quippe horam omnes illi si-
stendos: nihil mihi gratius fore, quam
ex ipso discere, non vitio cicutae, sed
meo, qualiacunque infortunia con-
quererer, contingere. Sed neminem
vidi, & ne responsum quidem. Experi-
menta nihilominus auxi ad nume-
rum CXX.

Quum tandem cancrosarum fae-
minarum octo mihi periissent, cete-
rorumque & nemo curaretur, & mul-
ti peiorarentur; quumque ex *Bohemia*,
ex Imperio, *ex Gallia*, *Anglia*, *Belgio*,
Italia,

Italia similia infortunia aut litteris perciperem, aut dissertationibus inteligerem impressis, ab experimentis nouis desistendum esse arbitratus sum; cicutam & inertem esse & noxiā a praegressis conuictus.

Interim videas, quanti faciam Tuam, optime Tralles, auctoritatem, dum vix lectis in ultimo Tuo opere *Breslauiensium* experimentorum encomiis, protinus & eorumdem historiam abs Te peterem, &, sub narratis supra conditionibus, me euulgaturum illam, tum laudaturum cicutam esse sponderem. Qui hisce meis adeo aequis atque sinceris votis satisfaceret, Tu, amice candidissime, vnuſ esse debuisti, vnuſ esse potuisti, qui, veri amore raptus, & Tua propria, obseruata ex Diariis depromere, & cunctorum *Breslauiensium Medicorum*, Chirur-

rurgorumque, qui cicuta vſi erant, testimonia, proprio ipsorum nomine consignata, colligere, & ad me tanta cum diligentia & attentione transmittere dignabare.

Vix accepta, legi eo, sancte testor, quo promiseram animo. Reperi catalogum vndeſeptuaginta aegrorum. Vidi clarorum virorum, qui cicutam ipſis dederant, alios aliis esse huic plantae fauorabiliores; Teque, Vir egregie, minus quam expectaram: vis probe a me notari, non scripsiffe Te, pag. 234. vexatissimi argumenti; Vires eiusmodi cicutae abs Te viſas, & comprobatas esse, verum eiusmodi de illa laudes percepiffe, quae illis, quas Tu nouo huic inuento decernere posses, maiores effent.

Horum vndeſeptuaginta ſcirrho
vel

vel cancro siue occulto siue aperto 36
laborarunt, omnium ergo media par-
te plures. Laborarunt 6 colli tumo-
ribus; Vomica 1, Fluore albo 3, Asth-
mate 1, ventris duritie ac tumore 3,
teste indurato 4, venereis denique ma-
lignisque viceribus 15.

Ex illis, qui scirrho aut cancro la-
borarunt, periere 30 miserrime, & in-
curabiles 6 manserunt, colli tumoris-
bus laborantium 2 curati, 4 minime,
Vomica curata, Asthma leuius inde
creditur, 3 leguntur ventris duritie ac
tumore curati, 3 curati a duro testicu-
lo, 1 non. Tandem a malignis viceri-
bus ac fistulis 11 curati, 4 non curati.

Liceat, Vir eruditissime, haec sin-
gulatim examinare. Deprehendimus
primo ex eis, qui vero scirrho aut can-
cro laborarunt, nullum seu nullam
(pleraeque enim foeminae sunt) cura-
tum esse, earumdemque $\frac{1}{2}$ misere pe-
riif-

riisse. Aduertimus quoque hoc peculiariter a practicis Breslauiensibus esse notatum. Scilicet egregium Chirurgum *Hauptmann* aperte fatentem legimus, *apertum cancrum numquam se cicuta curasse*, nec curatum a quopiam nosse. Dexterrimum Chirurgum *Beer*, ob a nemine curatum se vidisse, nec se umquam illum curasse. Exper. Medicum *Wicke*, cancero nunquam profuisse cicutam. Experti itaque idem sunt Breslauenses quod ego, quod Viennae multi mecum, quod centeni medici *Galli*, *Itali*, *Germani*, *Angli*, *Belgae* toties experti sunt.

Si cum hisce adeo vniuersalibus obseruatis, omnem omnino excludentibus exceptionem, conferamus libellos de cicuta, *primum*, *alterum*, & *supplementum necessarium*, deprehendimus nihil frequentius a cicuta, quam cancros & scirrhos aut curari, aut emen-

mendari insigniter. Libell. I. pag. 6.
„In strumis scirrhosis, in indurationi-
bus glandularum, mammarum, &
„pessimis canceris non exiguos effectus
„vidi, & expertus sum.” — Pag. 103”
„Indurata & scirrhosa in iisdem etiam
„casibus resoluit, vbi alia medicamen-
„ta maxime penetrantia nihil effici-
„unt” Pag. 104. „Cancro ponit limi-
„tes &c. Acre cancrosum emendat,
„foetorem dispellit. Ichorem cancro-
„sum in bonum Pus conuertit. Pag. 100.
„Dexter F. Leber pertinacissimos scir-
„rhos in diuersis corporis partibus re-
„soluit. Cancros plurimos non mo-
„do in mammis, sed & in facie, ad o-
„culos, nasum &c. emendauit, &
„quosdam integre curauit”. Sunt tot
fere scirrhorum aut [cancrorum cura-
tiones, quot capita libellus habet.

Libellus alter sic infit: ”Quo sae-
„pius

„pius cicutam aegris exhibeo, eo ma-
„iorem semper in hac planta virtutem
„& efficaciam admiror.— Pauloque
„post, opus non esse scribit eam or-
„nare encomiis, quum eadem accura-
„tissime capta experimenta eloquan-
„tur”. Nec mirum, quum libellus
„integer, innumeros pene referat a
„cancro aut scirrho cicutae persana-
„tos efficacia. Quare & pag. 287. le-
„gitur: ”Cicuta cancrum curat. Id,
„multiplici experientia conuictus, vi-
„di.— Et Pag. 291. si faeminae statim
„in principio mala sua detegant, & si
„Medicus debito tempore cicutam ad-
„plicet, certus sum, nos intra aliquot
„annos raro visuros mammarum can-
„crum. Et supplementi necessarii. Pag.
„37. ”Cicuta fundit scirrhos etiam an-
„tiquos. P. 40. Cancrum curat aut e-
„mendat eius acrimoniam, Pusque bo-
„num inducit, sopit dolores.”

Li-

Libello de stramoneo &c. p. III. &
II2. "Cicuta dissipari, ait, veros in-
„ueteratosque scirrhos, & cancros
„exulceratos."

Libello de Colchico autumnali p. 77.
„Easdem canit de cicuta laudes, ad-
„ditque: *Balneum ex Cicuta infusa*
„*paratum, cui totum aegrotantis cor-*
„*pus immergitur, multum subinde iu-*
„*uat, efficitque ut extractum interne*
„*datum longe citius scirrhos & tumo-*
„*res soluat, sanetque ulcera cancrofa*
„*saniosa. P. 92.*" Medicus - - - pro-
„priam uxorem cum omnium stupore
„ab ingenti mammae cancro liberavit."

Quid ad haec omnia, Vir carissi-
me? Viennae, eiusque singulari in vi-
co, cicuta multiplici experientia scir-
rhos veros, antiquos, inueteratos, per-
tinacissimos resoluit, curat, cancros

B in-

ingentes, exulceratos sanat — Dum interim Breslauiae, Pragae, Mediolanii, Parisiis, Londini, Amstelodami, tam ii, qui ceterum laudant cicutam, quam qui eandem vituperant, illam in canceris vnanimi voce inanem clamitent, in scirrhis vanam reperiant. Quid, inquam, ad hoc? Cicutam Viennensem, ais, palamque aiunt tecum omnes *Breslauienses* Tui collegae, miranda haec solam patrare, indigena aliarum regionum curari nullos.

Sed *Viennensis* cicutae libras, ultra 500, *Viennae* emptas, ceterae regiones deuorarunt, nec umquam scirrhos cancrosue veros se inde curasse, vel ipsi fatentur sponte, vel veritate conuincuntur. Nonne vestri id vnamini voce clamant? nonne idem plures nationes?

Ve-

Verum vrgebis *ex Libello 2 de Cic.*
p. 3. amaras querelas, in haec verba
erumpentis scriptoris: "doleo summo-
,, pere, centenas aliquot libras extracti
,, cicutae, ex herba sicca parati, me in-
,, scio, *Vienna* in alias regiones esse
,, transmissas." Quod nonnulli id semel
ex recentis penuria fecerunt, dum ad
externas regiones plus mittendum es-
set, quam de extracto ex recenti her-
ba parato mitti posset, inficias non i-
uero; ast vero Pharmacopoeos sequen-
tibus postmodum annis ex recenti
planta extractum parasse, cum certif-
simum est, tum ex eo patet, quod
eiusmodi nihil vñquam postea ab au-
tore expostulatum sit.

Si ergo vnico anno id contigit, id
annis posterioribus viribus non potuit
derogare cicutae: quin etiam quo an-
no id contigit, si minores, magnas

B 2 tamen,

tamen, vires eiusmodi extractum possidens effectu bono apud extraneos laudatum fuisset.

Obiicies mihi secundo auctoris querelas in *supplemento necessario* p. 8. & 9. "Extractum vero non ubique ad meam mentem paratur. Sumunt enim succi expressi ingentem copiam, eam in vase cupreo igne satis forti coquunt, foetor inde ingens longe lateque spargitur, auolat, quod est optimum; praeterea nimis um sollicite succum & extractum purificant." Subterfugium hoc aequa aegre quam ego, Praestantissime Tralles, admittes, si mecum cogites, herbae foetorem, qui nunc optimus a conquerente auctore vocatur, maxime auolare, dum ad fomenta & injectiones aqua coquatur; & tamen huius decocti egregias celebrari, in eius

ei⁹ operibus, vires: deinde nec foetorem in extracto parando auolare, cum mures perpetuo redoleat. Et, si a vase cupreo nocumentum pateretur, id profecto symptomata a cupro genita demonstrarent.

Sed quid immoremur eiusmodi ex-cogitatis subterfugiis refutandis, dum auctori vrbique vniuersae notissimum fit, extractum cicutae, quo ego mea infelia experimenta ceperim, quod ille, egoque ad exteris regiones, vbi nil effecerit, miserimus, esse plane i-dem, esse de eadem massa, ex eadem-que area petitum, ex qua petitum fit illud, quo ipse in Nosocomio suo, quo alibi, admiranda illa perficere se di-cat, quibus cuncti eiusdem scatent li-belli — Cessent itaque aliarum natio-num medici experimenti defectum in cicutam suam patriam refundere: cel-

B 3 set

set ipse auctor, de cicutae praeparatione conqueri, dum constet, eodem cicutae extracto, & me & multos exterios, quo ille vsus fuerit, vsos esse.

Sed hoc pacto conquereris, Vir expertissime, non solui sed amplificari magis, quod explicandum mihi aenigma proposueras, cur scilicet tot *Viennensium* scirrhi, cancrique curae laudentur, interea dum *Viennensium* medicorum plurimi, dum reliqui per vniuersam Europam Medicci atque Chirurgi, cicutam deprehendant esse ad hosce morbos curandos ineptam?

In rem ingratam atque odiosam me inducis, Optime Tralles: quum vrgeas tamen. expedire eam conabor. Ac primo quidem, si repetas tecum, cancri, scirrhi, scrofulae &c. definitionem, & quanam in re horum tumorum

rum singuli a singulis discrepent, mox defectum insignem reperies *in cicutae libellis*, qui haec nomina sic commiscant confunduntque, vt ad singulam fere historiam indigeant correctione, Hoc semel admisso, aenigmatis Tui solutionem pro parte habes.

Missa ad me fuit, ad conuincendum me, die 3 Jan. 1760. Faemina, quae cicutae vsu a pessumo exulcerato cancro liberata dicebatur. Faeminam videram antea nunquam, ideoque num vero cancro laborasset, ab eoque bienali cicutae vsu curata esset, aliorum fide & testimonio credere poteram; ex enarratione autem mulieris haud ita fuisse suspicabar.

Biennio post vrgebantur cicutae patroni, vt curatis per cicutam suis me, peruicacem & obstinatum hominem,

B 4

erro-

erroris conuincerent tandem. Porro
hi, qui integro quadriennio cicuta vſi,
iam numerosum iactabant curatorum
catalognū, aptum hominem, quem
ad me mitterent, non habuere, nisi
eandem hanc feeminam. Et quod abs
Te, Vir Clarissime, notatum velim,
ipsa haec faemina, quae biennio elap-
ſo in laudem cicutae ad me missa fue-
rat, quae post illud biennium adhuc
vnica erat, quam ad conuincendum
me, mandato coacti, aptam credebant,
haec, inquam, ipsa toto hoc vltimo
biennio ob nouam mammae duritiem
cicutam ſumferat. Pulchrum profeſto
ad conuincendum exemplum! Quo
autem hanc ignominiam a cicuta amo-
uerent, & in me (quis crederet?) con-
uerterent, schedulam dederant mulie-
ri, in qua monebar, mammam man-
ſuetius examinare; quandoquidem ea-
dem, ante duos annos rudius a me
con-

contrectata, induruisset sic, vt toto
hoc tempore cicuta de integro indigu-
isset. Capis facile inane commentum.
Itaque examinaui denuo, sed mansue-
te, foeminam, &, accuratius repeti-
ta cum illa morbi historia, conuince-
bar, eandem nec cancro vñquam la-
borasse, nec quo morbo laborasset cu-
rratam esse. Est foemina casus secundi
Libelli primi de cicuta. Tumores am-
bulantes, scrophulosos, illa gesserat
per annos, varias corporis glandulas,
alias post alias, affientes; loco saepe
motos emplastris, sponteue; renatos
ac mole aliquando duriores cutimque
nonnunquam inflammantes. Horum
adhuc vnum notabilem sub axilla ge-
rebat. Repeto itaque, si consideres,
illos, post millena experimenta, nul-
lum mihi exhibere, praeter hanc
mulierem, potuisse; si attendas e-
andem scirrhosam cancrosamque fu-

B 5

isse

isse numquam, aenigmatis Tui tenes
solutionem.

Secundo, praecox gaudium de aliqua sub cicutae vsu mutatione, quam etiam a natura factam cernimus, in causa fuit, vt curari iam, imo vt curatum clamitarent, quod tale minime erat. — Sic nuperrime iterum contingit, vt foeminae Comoedae, a cancro per cicutam curatae, fama aulam exemplaret vrbemque, eaque tamen ipsa, elapsis abinde 14 diebus, cancro mortua sepeliretur. — In *libello secundo* integra cancri cura totis tribus paginis descripta habetur mulieris, cuius maritus lignum iam aptauerat, vnde statuam Aesculapio suo conditurus esset, quam condituram mors breui, vt priuatis litteris noui, insequuta prohibuit.

Et, si legas in eodem *libello secundo*
a Pag.

a Pag. 262. ad 277. ouantem de cura-
to pene cancro historiam, an crederes,
Vir doctissime, cancrum paulo post a-
deo malignum fuisse, vt fuerit ferro
amputandus? Nec dubites: in tro-
phaeum cicutae excellentissimus comes
maritus, nunc princeps a rege fratre
creatus, excisam mammae portionem
Praga Viennam misit. Vidi, contre-
etaui, mensuraui illam. Tres pollices
Viennenses tumor, iam spiritu, quo
ferebatur, contractior, quacunque men-
suraretur in parte, in diametro latitu-
dinis habebat; in ea altitudinis duos.
Prudens Chirurgus vna abstulerat pa-
pillam, & pollicem latum substantiae
mammae ab altero papillae latere, vt-
pote scirrhis minoribus refertam.

Tertio, defectus memoriae (cur
enim odiosiore verbo vtar) in causa
fuit, vt, in aegrorum tradenda histo-
ria,

ria, cancrum exulceratum vocarent, vbi v. g. mammae inflammatio insuppurationem ostendit spatio abiuerat; & vt ambos pedes foedissimis ulceribus exesos scriberent, vbi non nisi paruae pustulae duae vni pedi aderant, quas prurientes puella scalpserat, & vbi teritia demum nascebatur a candelae scintilla, quae in idem crus, Chirurgo id examinante, infortunate exciderat. Conuictus hac de re fui, quando anno forte sesqui altero, ab illa ita dicta curatione, elapso, eadem puella me conueniens, eiusdemque mammae nouam inflammationem exhibens, praeteritam dabat historiam suam. Curante me illico Chirurgum vocari, qui in *libello secundo de cicuta* hanc vt exulcerato cancro & cruribus exesis laborantem describi curauerat, inuencula eum de memoriae lapsu conuicit sic, vt defendere ultra se non posset.

Id

Id generis historiae plures exstant.
Lapsus memoriae fuit, quando curatas
a cicuta scripserunt duras viscerum ob-
structiones; interea dum ex formula,
quam mihi tradi curaueram, paullum
extracti cicutae, cum copioso sapone
Veneto, & gummi amm. mistum, da-
tum fuisse intelligerem.

Lapsus memoriae fuit, quando,
cicuta in vlcere gangraenosof nihil pro-
ficiente, cortex Peruianus miranda
praestitit, & niholominus non huic,
sed illi, egregiae emendationis laus ad-
scripta fuit.

Lapsus memoriae erat, inter inte-
gre a cancro curatos recensere, eorum-
que curationis famam vndique sparge-
re, quos, diro cancro enectos, dudum
recondiderat tumulus. Evidem te-
stimonia complura possideo.

Sic

Sic omnibus ad aenigma respondif-
se videbor; Tibi autem, Vir celeber-
rime, vt sentio, necdum. Difficilli-
mus enim in credendo vrges me, vt
respondeam ad innumera testimonia
cancroſi, v. g. ichoris in pus album
bonum mutati, decreſcentis mox do-
loris, sedati cuiusuis symptomatis, re-
ditus cum ſomni deperditi, tum appe-
titus prostrati, vniuersique corporis
torofitatis; quae ſub vſu cicutae ani-
maduera, omnia reditum sanitatis
manifeſtē demonstrant.

Magna profeſto narras, Optime
Tralles, ſed audi & alteram partem.
Primo hanc ichoris in pus conuerſio-
nem id per ſe non demonſtrare proba-
bo; deinde docebo, non omnium ob-
ſeruatis bona haec signa cicutae con-
comitari vſum.

Primo

Primo, bella donna Tournefortii,
atropa Linnaei , solanum furiosum,
solanum maniacum , $\tau\mu\chi\nu\eta\mu\epsilon\lambda\alpha\omega\kappa\epsilon\rho\sigma\sigma\eta$, ex clarorum virorum confilio
& praescripto , a me data cancrosis,
eumdem effectum edidit, foeminarum
cum interitu. Vide experimenta mea
hac planta facta. Rat. med. Tom. 2.
p. 45 & 46.

Secundo. Neque ego ichoris in
pus conuersionem obseruaui tam fre-
quentem in his, quibus cicutam dedi
ego, nec in illis, quibus per alios ea-
dem data adfui , vlceraque inspexi;
neque idem alii ita obseruarunt. Non-
ne & id mecum vestri *Breslauenses* a-
gnoscunt? In eorum testimoniosis plu-
res aegri recensentur , quibus omnia
in ambitu exsudans ichor eroderet;
alii , quibus a cicuta ichor niger; alii
iterum vlcus multo fordidius, latius-
que

que serpens. Appetitus autem prostrationem in omnibus suis acerbe conquestus est Clar. chirurgiae professor Neubauer. Textorique ipsi Tuo, annon cum tumor maior, tum sordidius vlcus, tum nouus sana in mamma tumor, & in plerisque glandulis, obseruabantur, interea dum cicutae assiduum faceres copiosumque usum? Et annon matronae Tuae scirrus a Vienensi cicuta in pessimum se conuertit carcinoma, &, vt ultimis litteris notas, iam occidit? Et in alio numquid non pro pure sanguinolentus a cicuta ichor? Omnes tandem vestri nec bonum corporis habitum restitutum cancrois; nec saepe etiam vim dolores sopientem, somnumque conciliantem se expertos testantur. Videas ergo quam parum haec omnia cum libellis de cicuta conueniant.

Et

Et ut pauxillum adhuc in hoc argumento immoremur, quando auctor sic vim sipientem dolores, ac somnum conciliantem, cicutae extollit, quando in *suppl. necessario* p. 40. ait, *sopit dolores*, quando ibidem P. 66. scribit, *saepe mingendi dolores opio ci- tius fisiit*; cernimus tamen illum opio frequenter indiguisse. Lib. I. p. 33. 51. 56. 57. 75. Libello 2do Pag. 12. 14. 48. 49. 103.

Quin & incomprehensibile, ac plane paradoxon videtur, id statuisse. Praeterquam enim quod nec in meis, nec in *Breslauiensium* pluribus, ea vis cicutae confirmata fuerit, si consulam autorem, qua nemque dosi, a cicutae extracto, hanc vim edi putet, video a granis 2 de die obseruasse eandem, & sic porro a granis 4, ab 8, a 12, a 20, 30, 60, 120, 180, 240, idque haud

C rari-

rariore admodum casu, sed frequenti.
Si granum opii consueuit homini blandum conciliare somnum, erunt alii, qui indigeant dupla dosi, rariores qui triplo, quadruploque, rarissimi qui quintuplo, qui sextuplo uno die indigeant. Cicutae antem dosis cur adeo immense augenda sit, ex comparatione cum ceteris paregoricis haud facile capitur.

Et in aegris, qui carentes dolore, somnoque gaudentes, cicutae propter exulcerationes indolentes solvantur; quo manet vis sopiens? Numquid quis inculpate sumet opii dosin consueta quinquaginta cuplo maiorem? Utique vir mihi notus, qui antiqua atque pertinaci exulceratione versus tempus dextrum minime dolente laborans, suasque tres extracti cicutae dragmas trimestri spatio quotidie obliguriens,

vt

vt citra vllam emendationem, ita quoque citra vllum auctum somnum, eam copiam assunxit.

Itaque si primo tempore cicutae granis 4. 8. 10 bonus somnus adeo frequens erat, cur in libellis posterioribus praesentatur eiusdem semiuncia, quae ex prioris libelli calculo grana opii 24 imo 30 continere debet, cur, inquam, soporiferi remedii tam enormous in die vna praescribitur dosis, circa vel minimam indicatam cautelam, ut ratione paregorici fieri oportebat?

Auget paradoxi mirabilitatem hocce obseruationum par. *Lib. de cicuta* 2 Pag. 234. Miles, multa a cicuta sperans, vnciam extracti medium, quae pauxillatim adsumenda fuisset, die vnicō abligurit. Nullus inde somnus, sed alius per triduum quinquagesies.

C 2 Se-

DOCE

Secundo, formula cuiusdam Noso-comii & publica testimonia certiores nos reddunt de cuiusdam medici audacia, qui, a consueta cicutae extracti dosi nihil lucratus, integrum eiusdem quotidie libram, longo tempore, forma pilularum, vel in mixturis, decoctisue solutam, singulis aegris propinuauit, absque tamen vel minima mutatione in somno vel in excretionibus. Vbinam haec virtus soporifera? Aeternus debuisset obrepere somnus.

Sed hac occasione pro aenigmate
aenigma Tibi liceat, Vir clarissime,
proponere. Explices mihi, qui demum
intelligam sequentia. Lib. I. p. 103.
Hoc remedium nullam corporis actionem,
secretionem, aut excretionem
turbat. agit modo insensibili, nec aluum,
nec vomitum, nec sudorem mouet.
Haec scribebantur, dum triennii tem-
pore

pore innumera dederat experimen-
ta cicuta, vt eius effectus iam certo
certius constare deberent. — Videar-
mus Supp. necess. P. 35. "Raro tamen
,,aluum mouet, & rarissime vomitum;
,,quandoque transpirationem auget,
,,saepe autem vrina copiosam & glu-
,,tinofam prolicit. Etiam ipsi auctori,
,,Tomo. 2, p. 284. vrina a cicuta
,,copiosior. Iterum supp. necess. p. 35.
,,In plurimis tamen aegris *nullam ex-*
,,*cretionem sensibiliter auget*" — Mox
,,vero P. seq. "Auget secretiones, vnde
,,saepe aures, nares, os faucesque sic-
,,cas, reddit humidas, transpirantes—
P. 38. Producit sputum, vt iam mo-
nuerat Lib. I. P. 107. "Cicuta non im-
pedit sputa, sed ea potius mouet.
Pergit Suppl. necess. Pag. 27. "Pro-
,,diit vrina copiosa cum multo glutin-
ne. P. 66. "A granis duobus quotidie
,,extracti sumtis vrina copiosissima,

C 3 „cum

„cum multo glutinoso sedimine: dum
„vero vno die a cicuta abstinet, pau-
„ea est vrina, nec videtur sedimen-
„tum.” Si haec ita se haberent, cicu-
ta profecto potentius diuretica famoso
oxymelle colchicato foret.

Dum hoc mihi, Vir clarissime, ex-
plicabis, simul addas, obsecro, aliquam
super diaeta elucidationem. *Lib. enim*
2. P. 291 ”Cicuta nunquam strictum
„exigit vitae regimen. Admittit ea o-
„mnia, quae aegri ventriculus facile di-
„gerit, & quae in bonum nutrimentum
„transeunt. Neque interdicitur vinum,
„neque vitantur acida, prudenti & mo-
„derata copia sumta.” Et *supp. necessa-*
rium P. 64. Acida pro condimento con-
ceduntur, praedominantia vero minus
conducunt. Vinum bonum iis, qui
assueuerunt, non nocet. Assueuerunt
autem pene Austriaci omnes, ideoque
nul-

nullis eorum cancro laborantibus & cicta vtentibus nocet. Attamen Lib.I. P. 105 cancerosis & scirrhosis matmisis nocere acida vinosa &c. — In tanta secum contradictione adhuc ignorat obseruationem plane memorabilem Clarissimi *Breslauiensis*, quem veneror, Amici, quam legi atronitus, certe scilicet se scire, in cicuta et usu nibil nocentius esse carne eiusque iure. Profecto obseruationem eius falsam nostrorum medicorum nonnulli clamabunt, qui canceros pessimos persanare se gloriantur, iuribus carnium, quibus cicuta incoxerit. Quamuis multa Tibi, Vir Celeberrime, respondi, ut satisfecisse videri possim, tamen adhuc haesitantem Te percipio, & serio roganter, cur, praeter libellorum auctorem, tot clari apud ipsum laudati viri, aliique venerandi Medici, canceros curatos se vidisse aperte testentur,

C 4 dum

dum interea numerosi per Europam
medici, Vestrique omnes Breslauien-
ses, vt vt quidam cicutae dediti, id
constanter negent.

Resp. *1ma* Non omnibus medicis
maximeque iunioribus licuit adeo feli-
cibus esse, vt duros tumores rite inter-
noscere nouerint. Itaque vt hunc er-
rorem in nonnullorum libros irrep-
sisse supra demonstratum fuit, sic in e-
umdem incidisse, multorum data, ty-
pisque euulgata testimonia manifeste
arguunt.

Resp. *2da* Dumi multi, auctoritate
perculsi, nihil fidentius assumerent,
quam vere curari scirrhos & cancros:
dum tallentem passimque mendacem
sub cicutae vsu emendationem suspi-
cerent, mox illi se curare cancros, eos
demque prope curatos esse alta voce
cla-

clamitarunt. Multorum tamen eorum in honorem asserere teneor, fuisse tanti candoris plures, vt, dum decepsos se viderent, praecox assertum reuocarent, quemadmodum voce non nulli apud me, litteris alii, illud reuestra reuocarunt. De animi aut leuioris aut peruersi hominibus, qui, quo aut placeant, aut altius promoueantur, casus subornent, hic sermonem facere non conuenit.

Sed tertio, historia medicinae nobis res eiusmodi suppeditat, vt statui oporteat, plures eximios viros citra vllum detrimentum honoris in hunc errorem labi potuisse.

Egregius *le Dran* refert nobis foeminae cancrum, qui, si fuisset amputatus, 7. vel. 8. libras pondere aequafset, in gangraenam abiisse, totaque sua

C 5 mole

mole bidui spatio de corpore fuisse separatum. Magna haemorrhagia praegressa, pus bonum apparuisse purumque vlcus: labia vleris, elapso 4, 5 septimanarum spatio, coire bonamque renasci carnem coeptam esse, formataque cicatricem, qua vlcus, quod vix pollicem latum, integre tegi speraretur: corpus ceterum esse perfectae sanitatis: ut natura id quod ars, si potis fuisse, facere debuisset, praestitisse per se ipsam videretur. Verum enim vero cuncta iterum immutata fuisse. Subnasci quippe in medio relieti vlcusculi coeptum esse tuberculum, quod pedentim cicatricis aequaret magnitudinem, & minore quam mensis spatio in priorem ex crescere magnitudinem.

Ponamus, cicutae sub usu, naturae opera tale quid fieri; an Tu, Vir am-

amicissime, an ego, an omnes nobis-
cum effectum adeo stupendum cicu-
tae adscribere grauaremur? Errare-
mus tamen.

Cancro mammae domicella VI-
traiecti affecta ex summis viris, cele-
berrimis Ultraiectinae Academiae pro-
fessoribus, nihil sibi auxilii supereesse,
praeter amputationem, intelligit; ea
tamen lege, ut propter alium sub axil-
la tumorem operationem non subeat,
nisi consultis prius *Leydensis* Academi-
ae oraculis, Albino, Gaubioque. Igi-
tur Lugdunum Batauorum proficiuntur,
hos consulendi causa. At operati-
onem propter illum axillae tumorem
dissuadet vterque. Pallians autem *vnguen-*
tum magnus praescribit Albinus.
Repetit illa domum *vni Deo rem com-*
mittens, & nec *vnquam vfa vnguento*.

Ela-

Elapso aliquo temporis spatio, contigit, ut celeberrimus Gaubius ab aegro Ultraiectum inuitatus forte fortuna Chirurgum videat, qui secum Albinoque consulentem virginem fuerat comitatus: a quo hic mox percunctari adhuc ne virgo viuat? Et viuentem exclamare ille & citra cuiusque fanaticam opem. Attonitus, vixque prae gaudio se possidens, amicus ille hominum Gaubius, eam inuisere tendit, ab eademque ut monuerat Chirurgus percipit, nullo auxilio vnquam adhibito, nec Albiniano quidem vnguento, mammam, haud diu post iter Lugdunense, detumescere coeptam tandem vna cum axillae tumore paullatim ad perfectam rediisse sanitatem.

Ex illa miranda historia ipse clar. Gaubius, nosque cum eo omnes concludimus, in cicutae laudem nos ean-
dem

dem enarraturos fuisse, si, quo tempore citra villam medicinam iuuacula curaretur, hanc ipsi herbam dedissemus.

Acad. Reg. Soc. Paris. anno 1703.
consulatur. Vir nobilis in fossam cum equo praecipitatus, testiculum laesit. Labentibus quatuor exinde annis, testem sensim crescere atque indurescere, indolentem tamen, percipit. Anno quinto tumor cum ingens, tum durus, acute dolet. Scrotum empiricus aperuit, quosdam liquores iniecit; incassum autem his tentatis, oportuit, ut vulnus denuo consolidaretur. Resoluentia emplastra non profuerunt, In consilium vocati Chirurgorum Parisinorum celeberrimi, amputationem quidem proposuere, sed quibusdam de causis periculi vacuam haud esse addiderunt. Dubiae aleae committere

se

se ille nolens, *Lugdunum Gall.* petit; conuocatosque ibidem celebriores in arte magistros eiusdem reperit cum Parisiensibus sententiae esse. Ille vero nihil horum. Domum reuersus exacta diaeta usus est, & subinde rhei tantillo. Spatio anni necdum decurso, moles, durities, dolor, testem relinquunt, sic, ut illo equite nihil sanius.

Similem morbum si, adeo inopinato, dum cicutam exhiberemus, confanescere cerneremus, an dubitaremus cicutae curae adscribere laudem? Annon probabile magnos in arte nostra viros sic fere ineuitabiliter posse errare.

Sed est & alia ratio nostri hac in parte erroris. Tumor nec scirrhosus, nec cancerosus, origine, incremento, duratione, magnitudine, duritie, a-
spera

pera inaequalitate, dolore ac purpureo
cutis colore, potest nobis cancrosus vi-
deri, vt cancrosus curari, qui neuti-
quam cancrosus sit. *Tom. 7. Rat. Med.
a P. 129. usque ad 137.* historias com-
plures enarraui, quae cum mihi tum
aliis scirrhi ac cancri larua imposue-
runt, quas ne longus sim quaeras ibi-
dem. Sed cogita mecum hydaticum
tumorem, quem ibidem scirrum, qui
in cancrum vergeret, mentitum esse
videas, a natura resorberi cicuta inte-
rim exhibita; an facile nobis condo-
nandum non foret, quod primo im-
petu cicutae laudem tribuerimus?
Profecto nemo nobis vitio hoc verte-
re posset; modo quod honestos, quod
candidos viros decet, ea essemus in-
genuitate, vt, quando postea experi-
mentum, in millenis aliis, qui scir-
rhos cancrosque referrent, tumori-
bus, falleret, quando etiam eiusmodi

tu-

tumoris amputatione de errore con-
uinceremur; quando denique ipso-
rum lympham posse resorberi clare
intelligeremus; vt inquam, tunc nos
primo illo impetu praematurius ex-
fultasse fateremur. Annon credis, Vir
clarissime, celeberrimi *Morgagni* v-
xoris, cuius ibidem memini, tumorem,
strumosamque ibidem *Valisnerii* puel-
lam, ad hoc tumorum genus referri
merito posse? Vtique purgantia ea-
que repetita, imo spontaneae diar-
rhoeae, plus simplici vice eiusmodi
tumores mihi videntur abstulisse. Et
miles, cuius p. 22. memini, qui siue a
cicuta, siue errore diaetae, siue sponte,
alium quinquagesies tridui spatio de-
ponendo enormes suos omnium fere
colli glandularum tumores amiserat,
anon quoque id genus tumorum ha-
buisse videtur?

At-

Atque ita Tibi, Vir Honoratissime, sufficienter respondisse videor ad ea, quae ad scirrhosos & cancrolos tumores seu veros seu falso sic creditos, seu tandem eosdem mentitos, spectent. Iamque proprius animi candor viros in arte graues eo redegit, ut cicutae in his tumoribus curandis efficaciam ignauius tueantur, tuerique imo vix audeant ultra. Ne tamen haec planta eamdem, quam toties seculis superioribus subierit, subeat denuo sortem, laudant eandem in ulceribus fistulisque malignis, faucium, linguae, labiorum, genae, iuguli, colli, crurum, brachiorum, vniuersarumque denique corporis partium. Video plures vestrum velle hac saltem in parte patrocinari eidem.

Aequum est & cicutae vires in hisce morbis examinare, vt demum Tibi,

D

Vir

Vir existumatisse, omni ex parte
obediuisse videar.

Plura tentauit huius generis expe-
rimenta cum cicuta, quae mihi pro
votis non cesserunt; tentauere vestrum
plures sine successu; *Viennensium* simi-
le tentamen saepe frustra fuit. Atta-
men & vestri & nostri felicem gauisi-
sunt tentaminis sui effectum, haud om-
nino rarum, quem an cicuta, qua ci-
cuta, ediderit, examinandum est.

Liceat examini huic praemittere,
quae nuper Tomo 9. Rat. Med. cap. 6. §.
2. scripsi. In morbis cutaneis, antiquis,
,, vlerosis, in vleribus spinae vento-
,, sae foedissimis, in tumoribus arthri-
,, tics, continuamus id, quod superio-
,, ribus annis innui, pulchras obserua-
,, re aut emendationes aut curationes
,, eorum, quos consueta artis auxilia
,, haud

„haud leuauerant, ope sollicitae con-
„tinuaeque applicationis aquae cali-
„dae, siue purae, siue, ne forsan pau-
„peres eam prae nimia simplicitate
„negligant, repudientue, medicatae
„reddita, a malua, perietaria, chae-
„rophyllo, althaea, sem. lupini &c.
„vetustiores, viros in arte graues,
„hac in parte imitati, qui, dum con-
„suetis vnguentis, & emplastris eius-
„modi mala aut difficilius aut nullate-
„nus curari cernerent, fomenta aquo-
„sa, redditia eiusmodi vegetabilibus me-
„dicamentosa, vehementer laudarunt:
„Dioscorides, inquam, Dodonaeos,
„Clusios, Lobelios, Sanctorios, & no-
„uissimum auctore in praclarum Mor-
„gagni, qui epist. 37. §. 3. calcaream
„podagricorum materiam sola aqua
„calida fuisse resolutam refert.”

Vt hoc probem, vnam adferam

D 2 alte

alteramque historiam: Iuuencula annos nata 24 me cum sua matre conuenit 17 Febr. 1759 genam suam finistram exhibens, ab anno aetatis octauo, scilicet a 16 annis, foede exulceratam, sic quidem, ut iam inde oculo suo, quem vehemens inflammatio frequenter occupabat, valde metueret. Octennium erat, quod incassum sibi esset ptyalismus per Mercurium tentatus. Pectore praeterea anxia & tussiens, menses habens raros, aluumque segnissimam, ope medica vndique egebat. Exploraui itaque, inde usque ad anni 1760. 25 Martii diem, omnia artis interna externaque auxilia, quae nota mihi in arte erant, & quibus nonnunquam eiusmodi mala cedere videram. Saepe saepius spes curiae affulsit, totiesque iterum euanuit. Omnim maximam spem faciebat dragma lapidis medicamentosi Crol-

lii

hi cum Lib. II. aquae mixta, verum neque etiam hinc constantia curae. Itaque a 28 martii die 1760 cicutae extractum dedi, augendo quotidie dosin, donec ad dragmas eiusdem duas per uenerim, eamque dosin diu continuarem. Faciem autem primo emplastro de cicuta texi, eoque incasso, decocto cicutae diu noctuque multo tempore foui. Bimestri elapso, ob febrim quotidianam, prurientesque totius corporis pustulas, aliquantis per hanc methodum interrumpere debui: febre cum pustulis deuicta, resumsi. Cogit deinde vomitus sanguinis, & oedema crurum, desistere parumper. Sed his mutatis in melius ad eamdem methodum redditum est. Sub diu protracto cicutae vsu, & tumor ad axillam nascebatur, & fluor vteri albus, quod vtrumque iterum sub eiusdem continuato vsu cepit. Tandem quod

D 3 . sub

sub prioribus medicandi modis dolueramus, idem & hic, vt nunc laeti exultaremus, nunc iterum spem omnem curae abiiceremus. Cum nihilo minus remedii fama me animaret, tertiam hanc eius resumptionem a 18. Febr. 1761 ad 7. Aug. protraxi. Tunc vero cachexia vniuersa, & non minus dolentia, quam irregularia catamenia, a cicuta abstinere, urgentibus maxime occurrere symptomatis, iusserunt. Mense Octobri a gena versus labii inferioris tam internam, quam externam partem, subnascebantur bullulae instar phlyctenarum, quibus succo semperuiui maioris & melle rosaceo profui. Tandem corpore nunc emendatiore ad diem 28. Jan. 1762 faciem touere coepi chaerophylli siccata decocto, sic vt calide tota die ac nocte applicaretur & spongia eo madida continuo, non ablato apparatu, renouatur.

retur. Vnde intra 14 dies mutatio adeo insignis, vt quotquot aderant medicinae studiosi mecum obstupescerent, breuique postea vlcus cernerent integrum curatum, cicatrice inferius tantum paulo rigidiore, & noua cute cum antiqua minus concolore. Saepius vero postmodum indiguit medicina, priorum cachexiae symptomatum nunc his nunc illis redeuntibus, vlcere autem bene clauso.

Puero similiter a longo tempore pertinaciterque affecto solus usus aquae cum malua coctae, interpolatis purgantibus, curam publice perfecit.

Puella rustica, propter tumidas induratasque atque hinc inde foede exulcerantes vniuersi colli glandulas, aestate anni 1761, cicutae extracto & fomento in nostro Nosocomio incas-

D 4 sum

tractata, tandem cicutae valedicto, simili, qua prior, methodo sesquianno postea decurso curata est, domumque remissa. Recidiuam cessantibus mensibus passa rediit in Nosocomium finiente Octobri 1764. Spatio hoc trimestri, aquosis emollientibusque tantum fouendo vlcera, & menses restituendo, curatam remisimus.

Horrenda manuum crurumque elephantiasis, eaque quinquennii, epoto decocto althaeae, partibusque affectis eodem diu ac noctu fotis, balneisque, eousque hac hyeme curata est, ut vas, libras octo liquidi capiens, deciduis crustis tuberibusque expletum fuerit. Renascens crusta eodem auxilio decidit. Si morbus non curetur, id quod ignoro, saltem ab aquae calidae vsu fotuque capit insigne leuamen.

Sed

Sed ut hae curae successere mihi,
ita plures omnem meam operam luse-
runt; id quod & cicuta vtentibus ve-
stris nostrisque practicis, pari modo
contigit.

Attamen mecum, Vir clarissime,
censes, opinor, id euidenter ex dictis
constare, quod, si eiusmodi curae
nonnunquam perficiantur, eae perfi-
ciantur ynico aquae calidae fotu, si-
ue ea pura fuerit, siue cum vno alte-
roue simplicium cocta. Sed corpora
vides vno atque alio tempore huic cu-
rae fauentiora. Sic iuuacula mea
non curabatur olim fotu cicutae, cu-
rabatur autem postmodum chaero-
phylli decocti fotu. Et, quum con-
stet experimento multiplici, non her-
bam sed aquam adduxisse salutem,
contingere potest, vt prius adplica-
tum vel chaerophylli, vel altheae,

D 5.

vel

vel maluae decoctum nil proſit, poſt-
liminio vero proſit illud cicutae, &
vice versa, vt, hoc primum adplica-
to, non curetur morbus, applicato
vero *illo* deinceps, curetur. Aperte
id iuuacula, plures alii, euincunt.

Vera proinde ratio patet curatio-
num, quae cicutam famosam reddi-
dere. Capitur, vnde *Anglus* ille,
contractus atque rigidus totus, cuius
reſtitutio publicas explebat nouellas, ad
ſuarum redierit uſum partium. Intel-
ligitur, cur Parisiensis medicus, cele-
berrimus *Maloet Acad. Reg. ſov. Par.*
anno 1728. exſiccationem & contracti-
onem ſummam cruris, ex quo nata an-
cylosis erat, ob eamque iam decreta
cruris amputatio, tam feliciter reddi-
derit sanitati. Curam huic ſimilem pro
parte iam abſoluti balneo aquae, bis die
adhibito, pauculum lauendulae aquae
adden-

addendo. Nec *Cl. Maloet* nec alii nec ego ad similia indigemus cicuta: &, qui similia fotu & balneo cicutae perfecisse se gloriantur , concedere demum nobis debent , vi aquae & non cicutae se ea perfecisse.

Quaeri tandem posset, an cicuta nemini umquam mortalium noceat ? Negatur audacter. Saepius repetita legitur negatio. Vtinam demum id affirmare serius ocyus non cogeremur ! Profecto completa illa omnium totius corporis partiam insensibilitas , quae , nullo eiusmodi morbo praegresso, qui simile quid gignat, nata sub vsu cicutae , & pertinax obseruata Breslauiae fuit, pene cancroso bonum pus iam dante ; quemadmodum aliqui eorum, qui cicuta in cancro vtuntur , ante mortem experiri solent ; vlcere cancroso prae deficiente pure aut ichore iam

iam siccio; id quod passim illis contingere cernimus, qui a cancro per cicutam curati dicti, breui moriuntur; an, inquam, cicutam suspectam reddere non possit?

Socraticum per artus gelu, multis septimanis molestum & ad mortem vsque perseverans, in publico ciuitatis ministro sub vni cicutae genitum, bini clari & seniores vrbis medici mecum gemebundi viderunt.

An autem publica, eaque fere quotidiana exempla non prostent, quae demonstrent, scirrhosis & cancrosis mortem a cicta accelerari? Luculenta 30 fere annorum praxi edoctus, foeminas complures, quas dirum hoc malum adfligebat, cura, ut vocant, palliatiu, bono regimine, per plures minoresque annos in vita seruabam;

quod

quod idem mecum omnes practici se
fecisse laetantur: ex quo vero cicutæ
percrebuit, vidimus has foeminas
omnes, quibus & ego & alii cicutam
constanter dedimus, miserrime, soli-
toque citius perire. Quin & nonnullis,
indirecte saltem, me cicuta vehemen-
ter nocuisse, est quod acerbe dolere
numquam satis possim. Quum enim
principio aegre ferretur, me mam-
mæ tumorem mobilem, eumque in
corpore unicum, enucleando curasse,
ac si cicutam sua priuare gloria inten-
dissem, debui deinceps omnes eius-
modi foeminas cicuta tractare, pere-
untesque cicuta videre, quas ferro a-
lioquin sanas integrasque conseruatu-
rus fuisset. Horrorem profecto o-
mnium per Europam medicorum a-
nimis incutiat oportet memoria tri-
ftis millenarum mulierum, quas ab
elapso

elapso retro septennio haec planta
aut longe praematurius occiderit,
aut vnico salubri ferro detraxe-
rit.

Nunc ipse per Te, aequissime
ac candidissime Tralles, iudices ve-
lim, ytrum cicuta nocuerit mortali-
bus; nec ne?

Atque ita abunde me ad omnia
Tua respondisse, arbitror. Interim,
Vir amicissime, miserandam meam
cogita sortem, quem, quod torrenti
me opponam, odium inique prose-
quitur, calumniae impune lacerant,
& omne deserit tutamen. Viuo ni-
hilominus, & tranquillus. Omni-
potentis in sinu recumbo. Illi, Illi,
inquam, vnice debeo, qua ducor,
animi fortitudinem, maiorem debi-
turus,

turus, dum quae impendunt mihi
superuenerint. Non enim cedam
vltroneus. Professoriam spartam,
quoad licuerit, ornabo. Vale, ama
me, perpetuoque in Tuis habeto.

Dabam Viennae 3 Feb. 1765.



unten auf dem das imponirende
Interieur. Von demselben
Abend. Pauschalie. Es kann
diese Hingabe aufgrund Viele aus
die beobachtende der Eile jüngster.

Datum viernes 3 Decr 1

uf 2110


ULB Halle

006 205 941

3



ALO





ANTONII DE HAEN

S. C. R. A. MAIESTATIS CONSILIARI

ET ARCHIATRI

EPISTOLA

DE CICVTA



1765.